

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXX

urn:nbn:de:bsz:31-97032

ficant. Causa adfertur, quod vocis illius obstrepere congeminationo, acutum intus cum calore vocalem spiritum, per arteriam vaporoso aëre imbutam, erumpere testetur. *Mezald.* Caro putredinem non facile capit. Post annum nihil offendit olfactum, nisi quod aliquanto siccioris ostendatur corpulentia. *Antonius Gigas* frustum anno 1592. coctæ, anno 1598 donavit *Aldrovando*, foraminibus rotundis cribri modo pervium, ex quibus, si leviter quateretur, pulvis exidebat; non aliter, ac ex quibusdam arboribus caries. Saporis salis & subamari erat. *Aldrovand.*

CAPUT XXX.

DE PHASIANO
& PASSERE.

IN Curiana regione tam numerose capiuntur Phasiani, ut duabus aciculis singulos Christianis eo venientibus vendant. *Martyr. l. 8. Decad.* Fridericus Dux Saxoniae ducentos per Saxoniam emissos capi vetuit. In Scandinaviae locis sine cibo sub nive latitant. *Olaus.* Pennas dum pinguescunt, amittunt. *Passer* Accipitrem tantopere horret, ut imperitus in Xenocratis devolarit sinum. Libidinosissimus fere est omnium avium. Dimidiae enim horae spacio vigesies compressisse feminam visus est. *Scalig.* Venosissima devorat semina citra detrimentum, id vero exilitati venarum adscribitur à quibusdam. Herba, cujus nomen est ignotum in quatuor segetis defossa angulis, à frumento abigi scripsit *Plin.* Alii rubetam noctu arvo circumferri jubent, priusquam seretur, & vase fictili in medio defodi inclusam: sed ne amarescant segetes, ante messem erui debet. Taprobanenses dum in alto sunt mari, passerem, quos ad id ferunt, emittunt, illorumque ductu, magnetis usus ignari, ad propria facile revertuntur. *Acosta.* Mirum est, quod de passere vitulino qui juxta Mexicum dicitur. Ape magna haud major est; pluma tenuissima vestitur, rostro longo & gra-

gracili instructus, alitur rore, melle & florum succis. Octobri mense, inquit *Lycostenes ex Cardano*, uno pede annexus ramusculo, hæret usque ad Aprilem, loco tecto, atque ita mortuus veluti jacet: Cum redeunt flores reviviscit, atque ea de causa passerem resuscitatum vocant. Hæc priusquam fabulosa pronuncies, lector, quid de urtis, gliribus, muscis & aliis experientia ipsa dicet, considera.

CAPUT XXXI.

DE PERDICE.

In ea orbis parte, cui continens nomen, *Perdices* sunt duplici pulpa, tam conspicua, ut discernatur, tantæ molis, ut ne maximo quidem Comedone unâ mensâ una possit absumi. *Gonsal. Ovidus*. Testes earum in venere insigni augentur magnitudine; nulli hyeme apparent. *Arist. lib. 3. hist. c. 21.* Salacitas illis tanta, ut, cum desunt fœminæ, inter se & cum pullis coeant, cum adsunt, vento à maribus delato, quin voce & superno volatu impleantur. *Plin. l. 10. c. 33.* *Arist. l. 5. c. 5.* Fœtibus autem spiritus id facere estimatur, quem *Ephesius* vaporem interpretatur, qui defert calorem elevatum à genitili semine maris, qui susceptus per meatus perdicis, penetrat ad menstruum illius. Pulli illarum moræ impatientes, antequam ova aperiuntur, sponte erumpunt, pertusisque ovis, ubi caput primum exeruerint, pedesque protulerint, reliquo adhærescente corpore procurrunt, & sibi cibum quærunt. Docilitatem earum *Odoricus de Foro Julii* ostendit, dum inquit: *In regionibus circa Trapezuntem quæ Pontus olim dicebatur, vidi hominem ducentem secum supra quatuor millia perdicum. Is iter faciebat per terram, perdices per aerem volabant, quas ducebat ad quoddam castrum nomine Thanega, quod à Trapezunte distat trium dierum itinere. Ha perdices, cum Duci ipsarum homini quiescere aut dormire libebat, omnes*